



## Adjuvante Deo !

### §. I.

**C**orporum noctu lucentium duo potissimum Genera sunt: Unum, quod accedente motu externo splendorem & scintillulas spargit, Alterum, quod sua sponte lumen sine flammula sistit. Illius splendor ferme momentaneus est & interdiu etiam in locis obscuris videtur; Hujus diuturnior & noctu solum conspicitur.

§. 2. In priori Classe principem meritò locum sibi vindicat Homo, ex cujus corpore interdum exhalationes in lucem & flammam se resolyentes prodeunt. Narrat hoc de Theodorici Gothorum Regis Patre Cælius Rhodiginus *Antiq. Lect. lib. 15. cap. 5. fol. 780. edit Genev.* de Carolo Gonzaga Mantuæ Duce Thomas Bartholinus *Tr. de Luce Hom. & Brut. lib. 1. cap. 9. pag. 75.* de Antonio Cianfio Bibliopola *Fortun. Licetus de Monstris lib. 2. cap. 28.* de Cassandra Buri, Matronâ Veronensi Bartholinus *Histor. Anat. Centur. III. histor. 70. pag. 138. seqq.* & Gasp. Schottus *in Phys. Curios. Append. lib. XII. cap. 4. pag. 1372.* de Puerro quodam Jenensi ex Andr. Libavio *de Orig. Rer. lib. 1.* Schottus *in Phys. Curios. lib. XI. cap. XI. §. 1. p. 1212.* & Bartholinus *de Luce lib. 1. cap. 17. p. 147.* Confer Conrad. Gesnerum *de Lunar. Herb. pag. m. 13.*

§. 3. Pectentibus etiam aut manu capillos capitis dissipantibus evenire nonnunquam solet, ut in tenebris scintillulæ lucentes prorumpant. Contingebat hoc sæpissimè Christiano V. Daniæ Regi, Bartholinus *d. l. 1. cap. 10. p. 78.* Monacho Carmelitani Ordinis per annos tredecim perpetuos, ex Cardani *lib. 8. de Var. Rer. cap. 43.* Schottus *l. c.* Caumontiæ Heroinæ, Scaliger *de Subtilit. Exercit. 174. p. 539.* & Puellæ P. Joh. Fabro in Palladio Chymico oblatæ, Bartholinus *l. c.*

§. 4. Idem observatur in quibusdam Brutis, quæ si vel strigili vel manu in adversum demulcentur, flammam emittunt. Talem Equum candidum è Calabria habuit Scaliger ad Cataphracti usum,